

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de .


Das PDF wurde erstellt am: 28.09.2024, 18:37 Uhr.

Hermann Schuckmann

**Decanus Et Collegium Facultatis Theologicae, In Universitate Rostochiensi Ad
Disputationem Inauguralem Clarissimi Et Eximii Dn. Henrici Clingii, S.S.
Theologiae in hac Academia Professoris designati, Die 6. Junii in Auditorio
Maiori ... habendam ... invitant**

Rostochii: Kilius, MDCXLVIII.

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1899175180>

Druck Freier  Zugang



Jan 20 1899 3
DECANUS

ET

COLLEGIUM FACULTATIS
THEOLOGICÆ,

In Universitate Rostochiensi

AD

Disputationem Inauguralem

CLARISSIMI ET EXIMII

DN. HENRICI CLINGII,

S. S. Theologiæ in hâc Academiâ

Professoris designati,

Die 6. Junij in Auditorio Majori, volente

DEO, habendam,

Magnificum Dn. RECTOREM,

& omnes omnium ordinum Cives

Academicos, aliosq; literatos ac litera-

torum fautores peramanter

invitant.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO M, DC, XLVIII.

1648

DECANUS
HERMANNUS SCHUCKMAN
Theol. D. & Profess.

Suo & Collegii Theologici nomine

Sal.

Heologia veræ ea ratio est, ut multum sciat, & multa iterum nesciat: Quò enim sublimius quid scitur, hoc minus idem nescitur. Vicissim tamen discenda tantò majora, quantò magis ardua proponenda. In arcem humanæ sapientiæ, non nisi per variarum rerum noticiam, improbi laboris sobolem, & velut per gradus adscensus fit. Nec certè inscitia & ignorantia, cujus parens & nutrix inertissima segnities est, ad divinæ sapientiæ sacrarium quenquam mortalium ducit. In præcepto pariter & voto Apostoli est, ut *Sermo Christi* ad docendum & commonendum nos mutuò, *habitet in nobis* *πλησίως ἐν πίστει σοφίᾳ*. Usq; adeò Deus noster eruditum & sapientem Christianorum cœtum desiderat: in quo quum eminare debeat Theologorum ordo, ceu quorum est, semina cœlestis sapientiæ cæterorum mentibus instillare; quis non intelligit, ve eos effato
hoc

hoc Apostolico muneri sui admoneri maximè?
Duo imprimis sunt, in quibus Theologi boni officium occupatur, *Unum* interpretari verbum veritatis, *alterum* asserere ex eodē principio Doctrinam sanam, & à corruptelis illam vindicare: Ad utrumq; requiritur solida & probè subacta scientia, nec sufficit plebeia vel proletaria. Non dicam nunc de humaniori literaturâ, artibus & disciplinis liberalioribus, quæ insignem usum habent, famulantes Theologiæ; non de necessariâ Linguarum illarum cognitione, sine quibus nec versio Scripturæ proba minusq; adulterina exhiberi, nec interpretatio, quæ certa sit & archetypo consentanea, expediri potest: idq; vel eam ob causam, quod principium versionis & interpretationis, quæ fieri à Theologo debet, sit textus originalis & authenticus; cum aliud esse nequeat; nisi forte an translationes explicandas tibi sumferis; non attento, utrum illæ menti auctoris respondeant, nec ne? Quod *ἄλογον* sanè est & præposterè factum! Atq; ità *ἐν ἑρμηνείᾳ*, rectenè ea facta sit an secus, non poteris non hæere semper dubius. Ipsam porrò scripturam sacram, positus omnibus, quibus opus est, adminiculis, si eâ quâ par est, reverentiâ accedis, divitias ubiq; sapientiæ cœlestis, non penuriam invenies. Quanquam enim verbum Domini unâ duntaxat eâq; communi,

muni, quam toties urget, de Deo glorificando & homine per Christum beando, sententiâ constat. Modi tamen, quibus hæc explicatur & hominum mentibus inculcatur, in ipso Volumine Bibliorum, tot historias, vaticinia, parabolas, præcepta, commonefactiones, consolationes, exhortationes &c. complectente, non unius generis (adeò benignus fuit & largus Deus, in revelandis iis, quæ crudire hominem ad salutem, infirmitatiq; ipsius subvenire possunt) sed varii sunt & multiplices, uq; sublimem & latè patentem sapientiam spirantes. Hanc prorsus ignorare, si Theologus audis, miserum; non scrutari criminofum, non desiderare detestabile est. Cæterum in intelligendâ & explicandâ scripturâ sacrâ, sive phraseologiam Spiritus Sancti, quæ in multis locis se offert, arduam, sive singulares divini sermonis constructiones spectaverimus, difficultates videbimus nō exiguas: tamen si hoc ipso nihil derogatur claritati Scripturæ: Lucerna enim hæc est, lucens in loco caliginoso, adeoq; clara & perspicua, sed attendentib' & debito modo scrutantib' eâ est. Pro nativo autè & genuino illius sensu eruendo, id operæ in primis, quod non usq; adeò facile fit, dandum interpreti. Investigandus antè omnia textuum sacrorum scopus; quæ ad eundem tendunt, argumenta colligenda, expendendus illo-

rum.

rum nexus, vis probandi indaganda, conferenda cum antecedentibus consequentia, & quomodo invicem universa cohæreant, dispiciendum; considerandæ item propositiones singulæ, & quibus illæ absolvuntur, termini dextrè excutiendi, nihilq; prætermittendum eorum, quæ facere ad rectam certamq; interpretationem videntur. His enim neglectis frustrâ gloriamur de cognitâ accuratâ Scripturæ divinæ sententiâ. Et hinc est, quod non rarò testimonia ex sacro Codice in illo sensu afferuntur, qui ab auctore Deo intentus non fuit, tantùmq; abest, ut hoc pacto verè astruatur, quod probandum erat, ut etiam sinistrâ interpretatione decipiantur incauti, & ambigua fiat apud hostes veritatis, infallibilis verbi certitudo atq; auctoritas. Hoc ut caveat Theologus, & difficultatibus, quæ occurrunt, feliciter juxtâ ac salutariter se expediat, instructus sit necesse est multâ scientiâ, eâq; Theologicâ, & quæ Deum ipsum auctorem habeat: (Hominum enim vires frustrâ hic laborant, nec quæ Dei sunt, sinè Deo cognoscuntur aut intelliguntur. Et ad acquirendam hanc scientiam, opus est præ omnibus, piâ supremi numinis invocatione, & quæ eam comitetur, assiduâ meditatione. Utramq; verò ex sapientissimo Dei consilio, probatam reddet, experientiam gignens tribulatio. Hoc itaq;

itaque modo compositus Theologus, & rectè
interpretabitur verbum veritatis, & doctrinam
sanam adversus corruptores ejus, masculè
propugnabit. Equidem verbis solum velitari
quod *λογμαχεῖν* appellant Græci, in tenebris cum
adversario congrèdi, & convicia convitiis re-
gerere, omnium facilimè rudes possunt. At
scopum ferire, nervum contrariis argumen-
tis incidere, & sic convincere atq; *ἰπισμύζεν τὰς*
ἀντιλέγοντες τῇ ἀληθείᾳ, idq; non alijs, quam quibus
Servator noster Hæresiarcham Diabolum, cæter-
osq; hostes suos superavit, armis præstare, non
possunt, nisi eruditi & à Deo docti. Ità multum
novisse oportet Theologum: oportet tamen &
nescire eundem plurima; &, uno excepto, nihil
scire. Præterquam enim, quòd maxima pars
horum quæ scimus, sit minima eorum, quæ
ignoramus, & ipsa divinarum rerum notitia in-
continuo veriùs desiderio & pio conatu, quam
sciendi actu consistat; id profecto agendum.
Theologo est (sic fucata inflataq; scientiæ via
obstruetur) ut unius cognitioni, cujus charitas
omnem excedit scientiã, cætera subijciat, & mul-
ta aliàs cum novit, ipse Spiritu humilis, omnia se
nescire sentiat; exemplo Apostoli, qui non aliud
novisse se judicabat, quam Jesum Christum &
hunc crucifixum. *Ἐνὸς ἐστὶν χρεία.* Et hæc optima
illa.

illa portio est, quæ non auferetur ab eo, qui selegit illam. Sed quod hæctenus de bono Theologo expositum, quin illud menti quoq; sit Clariss. DN. HENRICO CLINGIO, Viri amplissimi ac prudentissimi DN. BERNHARDI CLINGII, p. m. Consulis, dum in vivis erat, de Republicâ apud nos oppidanâ benè meriti, filio, minimè nos dubitamus. Commendatus is honestè Ampliss. ac Prudentissimo Senatui, vocatus est ad Professionem Theologicam in hâc Universitate obeundam; Quâ ut benè deinceps ac salutariter fungatur, ex animo vovemus. Cum verò Professionum munia non nisi gradu aliquo ornatis capeßere liceat, ipse apud nos pro impetrando in Theologiâ supremo, vel eidem proximo honore nomen suum professus est. Et nos in privato examine, quæ statuta Facultatis nostræ poscunt, fecimus. Nunc porro in publicum producendus Dn. CANDIDATUS; cujus gratiâ conscripsit Disputationem Inauguralem *de Peccato Originis*. Super hâc, Bono cum Deo, die 6. Junij horis antè & pomeridianis in Auditorio Majori, publica sententiarum collatio instituetur. Vos ergò, Magnifice Dn. RECTOR, Excellentissimi omnium Facultatum Dnn, Professores, Doctores, Verbi divini Præcones, Artium liberalium Magistri, Ornatissima

tissima Studiosæ juventis corona, & cœteri, qui
estis literati literarumq; fautores, agite quæso,
actum hunc solennem, honorificâ præsentia &
frequentia conspectiorem reddite, & Dn. Can-
didato linguis animisq; favete, Quod officium
sicut honori sibi ducet Facultas nostra, sic juxta
cum Dn. CANDIDATO, memorem illius, &
referendæ pro re natâ gratiæ studiosam se fore
pollicetur. Deum Patrem Domini nostri Jesu
Christi devotè precamur, ut sanctificet nos o-
mnes in veritate suâ. P. P. Rostochi, sub
Sigillo Facultatis Theologicæ, die 28.
Maij, Anno 1648,



itaque modo compositus Theologus, & re
interpretabitur verbum veritatis, & doctrin
fanam adversus corruptores ejus, p
propugnabit. Equidem verbis solum
quod λογισμαχείν appellant Græci, in te
adversario congregari, & conviti
gerere, omnium facilimè rud
scopum ferire, nervum cor
tis incidere, & sic convinc
ἀντιλέγοντες τῇ ἀληθείᾳ, idq; p
Servator noster Hæresia
rosq; hostes suos super
possunt, nisi erudit
novisse oportet
nescire eundem
scire. Præter
horum qu
ignorant
contin
scien
Th
sic fucata inflataq; scientiæ via
ut unius cognitioni, cujus charitas
cedit scientiâ, cætera subijciat, & mul
am novit, ipse Spiritu humilis, omnia se
scientiat; exemplo Apostoli, qui non aliud
se se judicabat, quam Jesum Christum &
nc crucifixum. Ἐνὸς ἐστὶ χάρις. Et hæc optima
illa.

